



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA KABGAYENSIS

(*KIBUNGENSIS*) * DETRACTIS QUIBUS DAM TERRITORIIS AB ARCHIDIOECESI KABGAYENSI,
NOVA DIOECESIS CONDITUR, «*KIBUNGENSIS*» APPELLANDA. Ecclesiam sanctam, quam Christus
flagrantissima in homines dilectione condidit quamque suo pretioso cuore redemit, mira laboris
industria ingentique animi fortitudine sanctissimi Dei viri omnibus populis ac nationibus intulerunt.
Nemo tamen non videt quantum ad eandem propagandam atque augendam apta rerum
religiosarum, finiumque dioecesium temperatio et dispositio conferant. Quam ob rem cum Sacrae
Congregationi pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide visum esset bene fieri si,
divisa archidioecesi Kabgayensi, nova in eius finibus conderetur Ecclesia, Nos, sententia audita
venerabilis Fratris Amalii Poggi, Archiepiscopi titulo Cercinitani atque Apostolici in Rwanda Nuntii,
necnon Ordinarii Praesulis loci, suprema Nostra apostolica auctoritate, haec statuimus atque
iubemus. Ab archidioecesi Kabgayensi partem orientalem territorii distrahimus atque in novae
dioecesis formam redigimus, omnibus datis iuribus, quae ad normam iuris communis huiusmodi
circumscriptionibus ecclesiasticis competunt. Hanc autem dioecesim *Kibungensem* appellari
censemus a civitate principe eiusdem regionis. Limites inter archidioecesim Kabgayensem et
novam dioecesim Kibungensem statuendos volumus per limites praefectoriarum civilium Kibungo
et Kigali, uti populari sermone appellant, firmis ceteris limitibus. Novae Ecclesiae sedes in civitate
Kibungensi erit, cathedra Episcopi in principi templo, quod ad dignitatem cathedralis tollimus, cum
debitis privilegiis. Sive dioecesim Kibungensem sive eius Antistitem iurisdictioni metropolitanae
sacri Praesulis Kabgayensis subicimus, cui erunt suffraganei. Ad Canonicorum autem collegium
quod attinet, permittimus ut, ob locorum rerumque adiuncta, Consultores dioecesani ad normam
iuris interea renuntientur. Ceterum haec Nostra decreta ad effectum deducenda venerabilis Frater
Amalius Poggi, quem diximus, curabit, vel ab eo delegatus vir, dummodo in ecclesiastica dignitate
constitutus. Rebus autem peractis, documenta idem exarari iubebit, quorum sincera exempla ad
Sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide mitti curabit. Hanc
vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per
eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius
Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per
eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel
scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis

impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.*Datum ex Arce Gandolfi, prope Romam, die quinto mensis septembris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus Nostri sexto.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA

S. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN

S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens*Eugenius Sevi, Protonot. Apost.

Iosephus Massimi, Protonot.

Apost.

*A.A.S., vol. LXI (1969), n. 2, pp. 75-76 © Copyright 1968 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana